Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26373
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Qui parati sunt suscitare leuiathan. Omnes enim qui ea
que mundi sunt mente calcant. et ea que dei sunt ple
na intentione desiderant. leuiathan contra se suscitant.
quia eius maliciam instigatione sue conuersationis inflam
mant. nam qui eius uoluntati subiecti sunt. quasi qui-
eto ab illo iure possidentur. et superbus eorum rex quasi se-
curitate quadam perfruitur. dum eorum cordibus incercussa po-
testate dominatur. Sed cum unicuique spiritus ad conditoris sui
desiderium recalescit. cum torpore neglegentie deserit.
et frigus insensibilitatis pristine. igne sancti amoris ac-
cendit. cum libertatis ingenite meminit. et teneri ab
hoste seruus erubescit. quia iste hostis se considerat
despici. quia uias dei uidet apprehendi. dolet contra se
captum reniti. et mox helo accenditur. mox ad certamen
mouetur. mox ad temptationes innumeras contra
rebellantem se mentem excitat. atque in omni arte laceratio-
nis instigat. ut temptationum iacula intorquendo
confodiat cor. quod dudum quieto iure possidebat.
Quasi dormiebat quippe. dum sopitus in prauo cor-
de quiescebat. sed excitatus in prouocatione certami-
nis cum ius amiserit. uim peruerse dominationis in
geminat. Huic ergo nocti maledicant. qui parati sunt